

tes papulô brevi expirârunt, hoc saltem attestantes, insectorum Ova sine masculi cum foemella edita conjunctione non semper existere sterilia,

OBSERVATIO XII.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

*Iridis Solaris in planitie Terræ conspectæ nonnullis
Phænomenis.*

IRidem Solarem in Terris nonnunquam visam præ cæteris testantur Jacobus Rohault *Tract. Phys. Part. 3. cap. 17. § 31. 32. & Excell. D. Christianus Mentzelius Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. An. 5. Obs. 134.* ubi de illa in prato quodam figurâ hyperbolicâ conspecta agit, cujus Figuræ insolitæ rationem à Doctissimo Mathematico Dn. Jacobo Bernoulli, uti ibidem *An. 8. Obs. 144* explicatam legerelicet, sic inter alias Quæstiones, quas laudatus Mentzelius occasione iridis à se notatæ movet, & hæc p. 276. habetur, anne scilicet Iris Parabolica, vel Circulari formâ in planitie terræ se exhibere queat? Ratione illius experientiâ destitutus, nil certi affirmare possum; Ratione hujus verò, Iridis nimirum Circulari figurâ præditæ; quod Dn. Mentzelio hætenus observare nondum contigit, id fortè fortuna die quintô Julii, Anni præcedentis Oculis meis obviam factum esse, hisce testari possum. Erat scilicet ipsa illa dies, quæ Civibus hujus loci quotannis Exercitij jaculatorij ergò solet esse solennis, cui Coelô admodum serenô existente usque ad secundam Pomeridianam optima favebat tempestas, quô tempore Favonius subitò invalescens, superioremque aëris regionem nubibus undiquaque obducens, eandem præter jaculatorum spem, utpote quibus illô die serenitate Cœli nil gratius esse potest, turbidam ac pluviosam minitari videbatur. Neque vanas hæc fuisse minas, eventus docuit: Præterlapsô enim vix horæ spatiô, assiduos habebamus imbres, qui in magna copia ad sesquihoram defluxêre, ubi versus Occasum serenitate gratiori apparente, Solis lumen crassiores nubes dissipare radiisque suis Horizontem illuminare iterum coepit, continuante interim ad notabile tempus in verticali nobis Cœli parte pluvix quasi stillicidiô. Commorabar tunc in ædibus Horti mei delectationis gratia exstructis cum nonnullis Amicis, & ecce! dum præ fenestra stans oculos versus terram varii generis Arboribus consitam

verto,

verto, Iridem admirandâ & solitâ colorum varietate satis speciosam semicirculi figuram accuratè referentem, conspicio; Jacundum sanè spectaculum erat, videre elegantissimum huncce arcum in terris, quem alias non nisi Coelum versus attollendo oculos cernere licet; Neque fermè dubito, nisi excelsus à tergo murus obstitisset, deficientem Semicirculum æquè ac illum quem terra monstrabat, Iridemque sic completam rotundam à nobis visam fuisse. Exornavit dicta Iris Horti nostri planitiem ultra quadrantem horæ, quamdiu scilicet tenuis continuabat pluvia, quâ desinente coeloque post dissipatas nubes magis serenò iterùm existente, paulatim colorum varietatem exuebat, relictâ saltem ad tempus obscurâ quâdam flavedine, quæ ipsa tamen conspectui nostro paulò post se subduxit. Caterùm notum est, Neotericos Physicos statuere, quòd duo homines unam eademque Iridem nunquam videant; Quia enim guttulæ imbrium coloratæ sub certo angulo circa axem visionis conspiciuntur, duobus verò hominibus differentes illi axes offeratur Iris: Quæ omnia uti prolixiùs explicat supra laudatus Rohaultius l. 6. §. 21. Sic veritatem hujus asserti, nostra Iris egregiè ac oculariter planè confirmavit: Cùm enim loca huic confinia bene notâsem, (id quod ob præsentem Horti Arbores commodè fieri poterat) quoties ad unum vel alterum passum progrediebar, toties, prout gressum vel sinistrorsum, vel dextrorsum, vel aliter feceram, in alio loco Arcus noster conspiciendum se offerebat, qui tamen repetitâ priori statione pristinum iterùm occupâsse spatium deprehendebatur. Haud sine admiratione plures mecum idem viderunt Amici, evidenti & oculari hæc demonstratio satis convicti, quòd Iridem quisque peculiarem intueatur.

[Hildesiâ Augustam Vind. d. 11. Januar. A. 1701. missæ.]

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

De

*Delirio jocosò & ridiculo, ex nimio abusu Spiritus
frumenti compositi.*

ANnò 1700. Mense Septembris, Rhedarius quidam, mediæ ætatis vir, luxuriei, & imprimis Baccho, à multis retrò annis dedicatus, epotavit intra quatuor horarum spatium cum alio Compotatore insigni,

libras tres Spiritus frumenti compositi seu Aquæ vitæ; Quô factô Hercules iste in potando, abituriens procumbit humi, omnibus sensibus prorsus destitutus, & cùm hunc strenuum potatorem nemo præteriverit ob noctem ingruentem, pernoctavit ibidem subdiô quasi semi-mortuus: Manè expergefactus, domum redeundo, hunc ipsum domestici observârunt in summo caloris æstu, cum vomitu insigni, quare vocatus, ipsius pulsum deprehendi valdè robustum cum insigni spirituum ataxia, hinc venam in brachio secandam curavi, ipse autem potator erat ferè citra omnem rationis usum. Alterô die erat vestibus indutus, hinc inde in hypocausto oberrando saltabat, monetas in arena dispersas digitis quærebat, Crumenisecas in domo ipsius reconditos, uti sibi imaginabatur, maxima cum industria investigabat, tibiis canendo & semper jocosa proferendo cachinnabatur, imò quod maximum, tempore maximè pluvioso excurrerat per plateam, & tanti erat roboris, ut ipsum tres viri aliàs quadrati & robustissimi, domum reportare vix valuerint, lectum petere volebat, quod inibi exerceretur actus venereus à duobus personis sibi notissimis, hinc sæpissimè digitis monstrabat, an nemo videret, quid in ipsius lecto ageretur. Phœnomena hæc delira continuavêre per integrum quatrimum, dies noctesq̃, sine omni somno ac quiete; Intra 14. tamen dierum spatium pristinæ sanitati plenariè restitutus fuit, per venæsectionem ter in largiore quantitate institutam, & per Medicamenta nitrata in majori dosi exhibita pro orgasmo sanguinis enormiore compescendo.

[*Lipsiâ Augustam Vind. die 14. Jan. 1701. missa.*]

OBSERVATIO XIV.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Curiositate Silesiaca.

TEmpore Majali plures dari homines, qui cum butyro & pane tenellas herbas, utpotè rutam, absinthium, lupulum, matricariam & plures alias miscent, locoq̃ præservativi matutinis horis comedunt, notum est in nostris oris, & ni fallor, etiam alibi. Hoc autem aliquid novi est, quod subjungo: Quidam nostrorum Nobilium loco harum herbarum assumunt sementem, die Saat, & instar præservativi æstimant. Est aliquis, qui singulis fermè septimanis novum

Ogilby